

NICOLAVS DE SUSATO.



Nicolaus de Susto sacræ Theologiæ Doctor fuit celeberrimus, & tam in Aristotelica philosophia, quam in diuinis scripturis eruditissimus. Itaq; apud Ludouicum ducem Bauariæ & Rheni Palatinum in magno pretio habitus fuit. Eum ergo Palatinus ad Constantiense Concilium misit, ut rebus agendis pro sua pietate & eruditione interesset. Ibi sua doctrina & prudentia breui omnibus doctis & bonis uiris innotuit. Hinc ipse ex Germanica natione cum ceteris ipsis cardinalibus adiunctus ad eligendum summū pontificem. Tres enim pseudopontifices depositi, atq; Martinus; pontifex renunciatus fuit. scripsit is ingenij sui nonnulla preclara opuscula, quibus memoriā nominis sui posteris reliquit. E quibus feruntur Quæstiones sententiarum, atq; plurimi sermones habiti, floruit is anno 1417. Trit. & Concil. Constant.